

3° *Guillelmus Ockam*, † 1347, Anglus, Franciscanus, Scoti discipulus Oxoniae et Parisiis, docuit Parisiis; *Doctor Singularis*, seu *Venerabilis Inceptor* (sc. nominalium); causam Philippi Galliae regis, ac deinde Ludovici Bavari adversus summum Pontificem tuetur variis libris adversus sedem Apostolicam scriptis; profugus Monachii moritur. Philosophica scripta multa reliquit, Nominalismi praecipuus illo tempore defensor. Hunc plene evolvit et consequenter ad conclusiones deducit; unde et sensualismo et scepticismo recentiorum jam viam aperuit: — *Sensualismo* quidem, a) quatenus Roscellini nominalismum restituens, universalia ad flatus vocis revocans, simulque docens «scientiam realem non esse specialiter de rebus tamquam de illis quae immediate sciuntur,» ad conclusionem ducit, hominem nihil praeter singularia cognoscere, ad quod sensus sufficiunt; — b) quatenus statuit demonstrari ratione non posse immaterialitatem et incorruptibilitatem rationalis animae; — *Scepticismo* proinde etiam favet tum illis, tum aliis sententiis: «demonstrative probari non posse quod Deus intelligat omnia alia a se,» nec «quod Deus sit causa efficiens alicujus effectus,» neque imo «quod Deus existat.» — *Ethicae* fundamenta subruit, asserens discrimen inter bonum et malum morale non intrinsecum, sed ex libera Dei voluntate esse exortum; neque demonstrari valide posse utrum humanae voluntatis finis sit Deus, neque utrum Dei possidendi capax sit homo.

4° *Joannes Buridanus*, † circa 1360, Ockami discipulus, Parisiis docuit, et Universitatem rexit. In logica imprimis methodum inveniendi medii termini quaerit, quam ad omnia applicandam vocaverunt «pontem asinorum.» — Libertatem ita explicat ut voluntas necessario sequatur intellectum, ad bonum cognitum, vel ad melius determinata.

5° Invadentem Nominalismum pluries eo saeculo Universitates, ac praesertim Parisiensis, repulerunt et damnaverunt, nec tamen plene extinguere potuerunt. — *Thomas de Argentina*, † 1357, Augustinianorum Superior Generalis, ad componendam litem inter Nominalismum et Realismum, plures distinctiones invenit, subtiliores simul et tamen non sufficientes! — *Petrus de Alliaco*, 1350—1425, docuit nominalismum Parisiis, postea Episcopus Cameracensis, et Cardinalis, celebris propugnator Immaculatae Conceptionis B. M. V. Essentiale discrimen ponit inter speculativam et sensualem notionem. Illa dat infallibilem certitudinem propter rationes immediate evidentes; haec autem dat certitudinem solum hypotheticam, supposito nempe cursum naturae ordinarium a Deo non suspendi. Relate ad probationes existentiae Dei multa sophistica et minus recta habet. — Item in Germania: *Gabriel Biel*, † 1493, *Novissimus Scholasticorum*, docuit Tubingae, nihil novi, sed magna claritate Ockami universam doctrinam resumens; cujus opera Luthero et Melanchthoni familiaria fuerunt, nec nihil in eorum sententias influxerunt.

6° Contra istorum Nominalium conatus, tota hac periodo, Realistae multo plures et clariores exstiterunt. — *Gualterus Burlaeus* de quo cfr. supra. — Dominicanorum plerique, et imprimis: *Joannes Capreolus*, 1444, *Prin-*

ceps Thomistarum; — *Dominicus Flander*, † 1500; — *Sylvester Ferrariensis*; — *Thomas de Vio*, Cajetanus, 1470 — 1534, docuit Neapoli, Brixiae, Paviae, Romae; postea Cardinalis, primus et magnus commentator Summae Sⁱ Thomae.

7° *Raymundus de Sabunda*, Hispanus, Tolosae medicinam et philosophiam circa 1437 docebat; ejus liber: «theologia naturalis» satis celebris fuit. Methodo sua Raymundum Lullium sequitur; quoad rem religiosam cognoscendam, duplicem cognitionis fontem agnoscit: naturam creatam, et biblia sacra. Ex priore per ratiocinium omnia hauriri possunt et debent; ex posteriore eadem omnia affirmatione auctoritativa proponuntur. Hinc positiva religionis christianae dogmata ethnicis ex sola ratione probare conatur.

8° Toto hoc tempore tum alibi, tum in Germania praecipue, non interrumpatur series mysticorum. At praecellens vix ullus memoria dignus invenitur praeter *Joannem Charlier Gersonium*, prope Rhemos natum, 1363—1429, qui Parisiis Petrum de Alliaco audivit, mox ipse docuit, et Universitatis Cancellarius est renunciatus. Obiit Lugduni. In locum dominantis theologiae scholasticae, superiorem, mysticam, sufficere satagebat, quae et simul vera philosophia esset, et simul orationi per unionem et immersionem animae in Deum, copulata, cuius probatio etsi non erudito homini apta esset.

§ 2. REACTIO CONTRA SCHOLASTICAM PHILOSOPHIAM.

1° Labente ista periodo, contra Scholasticam philosophiam paulatim excrevit reactio, quae late tandem propagata fere totum philosophiae studium subvertit, atque sequentium saeculorum errores omnes ac perturbationes praeparavit. Hujus autem reactionis causae plures concurrerunt, scilicet:

1) Ipsorum scholasticorum defectus simul et excessus. Nam: a) plures eorum, praesertim ultimis duobus saeculis, subtilitatibus et vanis quaestionibus ultra modum indulserunt; — b) formas litterarias nimis neglexerunt, rudi, incomposito, ac barbaro stylo utentes, mentem et memoriam vacuis formulis non raro obruentes potius quam illustrantes; — c) scientias mathematicas, physicasque varias, parvi fecerunt, earum progressum et cultum nimis negligentes (Hic tamen postremus defectus magna ex parte conditionibus et necessitatibus temporum tribuendus est. Postulabat enim aequitas ut antiquiores scholastici contra populorum barbariem et ignorantiam, contra Maurorum errores et praepotentem culturam, veritates religiosas et morales, res nempe super omne aliud nobiles ac necessarias, illustrarent ac vindicarent; ac proinde illis philosophiae partibus se totos darent, quae cum revelatis dogmatibus magis connexae sunt. Quibus primo firmatis ac possessis, tempus erat ut postea ad alias scientias, generi humano utiles quidem at minus primario necessarias, excolendas et promovendas transirent, animosque intenderent. At misere factum est ut, propter causas quas mox enunciabimus, rem parum curantes in alia extrema abierint).

2) Errores aperti et praxes reprobandae eorum qui physicis experimentis passim incumbant, v. c. Rogerii Baconis, Judaeorum medicorum, Arabum philosophorum, alchemistarum et astrologorum; unde facta est apud fideles christianos non paucos aversio nimia ab omnibus etiam apparenter similibus studiis. Nec sufficere potuit solus B. Albertus Magnus contra reliquos omnes.

3) Ortus novae civium liberorum classis in civitatibus florentibus et praedivitis; quo factum est ut, praeter ecclesiasticam et monachalem scientiam traditionalem, alia civilis cultura exurgeret, novitatis et libertatis curiosior.

4) Scripta Ockami qui Nominalismum Roscellini, et Abaelardi rationalismum ex parte excitans, independentiam rationis ac despectum potestatis summorum Pontificum praeparavit, disputandique furorem exacuit.

5) Magnum schisma Occidentis, ex quo imminuta est religionis Christianae ac Sedis Apostolicae veneratio.

6) Regum et potestatis saecularis nimia exaltatio, cujus exaggerationem et abusum promoverunt jurisperiti, qui legibus christianis aggressi sunt juris Romani ac Caesarei placita substituere.

7) Wicleffistarum, Hussitarum, alique errores et bella contra auctoritatem Ecclesiae.

8) Renovatio studii litterarum antiquarum effraena, per humanistas instituta, adventantibus Graecis in Italiam et Germaniam, tum ante tum praecipue post expugnatam Constantinopolim, 1453.

9) Artis typicae, et Novi Orbis inventiones, quae mentium vehementem commotionem excitarunt, non semper ad meliora inclinantem.

2° Jam anno 1339, Monachus *Bernardus Barlaam* ex Calabria, linguam et litteras graecas docuit poetam *Franciscum Petrarcam*, 1304—1374; qui toto animo illis inhaerens, Platonem aliosque Graecos omnibus aliis praeferebat, atque late notos facere et laudare coepit Ciceronem et Virgilium. — Nec minus ardebat alter poeta *Joannes Boccaccio*, 1313—1375, cujus opera *Leontius Pilatus*, Barlaami discipulus, Florentiae factus est linguae graecae professor, 1350. — Primus ex Graecia venit *Manuel Chrysoloras*, Constantinopolitanus, † 1415, qui litteras graecas in variis Italiae urbibus docuit, graecorum antiquorum lectionem vulgare coepit. — Talium paulatim auctus est numerus, moxque Plato tanquam scientiae et philosophiae princeps habitus est.

3° Ea igitur fuit reactio, ut passim ad antiquiores errores Graecorum et Latinorum redirent, nondum quidem Christiana dogmata aperte rejicientes, sed ea passim ita explicare et interpretari conantes ut ad antiquitatis paganae modos dicendi et cogitandi mox accederent. Sint igitur exponendae:

I. Schola Cusana.

II. Schola Platonica.

III. Schola Cabbalistica.

IV. Schola Neo-Aristotelica.

V. Stoicismus, Epicureismus, Jonismus.

I. Schola Cusana.

Nicolaus de Cusa prope Trevirim natus, 1401—1464, studuit Deventeri et Patavii jus, matheses, theologiam; Cardinalis et episcopus Brixensis. Rejecta scholasticorum logica et methodo, sequitur mysticos ac praesertim Eckhardto adhaeret. Ad haec reduci possunt ejus doctrinae capita praecipua:

a) *in logica*. Praeter facultatem sensitivam, duae aliae sunt facultates cognitivae hominis: ratio, i. e. vis discurrendi, formans conceptus ex sensibilibus, non independens ab organo sed inhaerens cerebro; et intellectus, i. e. vis altior vere immaterialis, intuens veritatem. — Ratio ligatur principio contradictionis aliisque legibus logicis, sed intellectus a principio etiam contradictionis liber est. — Veritatis capax intellectus non est nisi ope auxilii divini, nempe fidei lumine a Deo infuso.

b) *circa Deum*. Deus est ens maximum simul et minimum, omnium differentiarum et contradictionum absoluta identitas; — Deus est omnia «complicite», i. e. complicatio omnis esse cujuscumque existentis; mundus vero est omnia illa «explicite», i. e. explicatio et diversificatio illorum omnium quae in Deo sunt identice unita. — Non ergo possumus Deum vel rerum essentias cognoscere; estque summa scientia confessio nostrae ignorantiae: «docta ignorantia,» soli intellectui propria, nam ratio non nisi scientiam conjecturalem attingit.

c) *de mundo*. Pantheismum effugere cupiens docet distinctionem realem inter mundum et Deum; mundumque esse creatum a Deo ex nihilo; sed hanc creationem ita explicat, ut Deus esse suum rebus communicaverit, sitque ipse omnia in omnibus; ita ut mundus non sit nisi «invisibilis Dei apparitio,» nec Deus sit nisi «visibilium invisibilitas.»

d) *de anima*. Anima hominis est spiritualis, immortalis, forma substantialis corporis, triplicis vitae principium unicum, vegetativae, sensitivae, intellectivae. — Intellectualis cognitio consistit in assimilatione intellectus cum rebus; unde anima omnia cognoscens fit omnia, universalitate assimilationis, non sicut Deus qui est omnia universalitate veritatis. At, quum anima veritatem intelligere nequeat nisi lumine divino, lumen autem hoc divinum Deus ipse sit, quoties lumine illo intellectus repletur, unio talis efficitur ut intellectus se similitudinem Dei videat, qua ipse totus in Deo, Deus omnia in eo sit; estque haec nostra Deificatio et Filiatio Divina. — Vix a mystico pantheismo differre ea omnia clarum est.

II. Schola Platonica.

1° *Georgius Gemisthus Plethon*, Constantinopolitanus, 1355—1452, Florentiae docuit philosophiam quam Platonis dicebat, quae tamen potius Plotini erat (cfr. sup.). — In critica sua a) statuit Aritotelem errare in doctrina de universalibus, b) defendit et anteponebat Platonis theoriam idearum, c) censet

Aristotelem perperam limitare activitatem primi motoris, et negare divinam providentiam, dubitare de immortalitate animae, false definire virtutem, errare de summo bono, etc.

2° Quum contra Plethonem ardentem Aristotelem defenderent *Theodorus Gaza*, Thessalonicensis, † 1478; — *Georgius Trapezuntius*, 1396—1486, qui Plethonem etiam polytheismi insimulatur; — et *Georgius Scholarius Gennadius*, Constantinopolitanus Patriarcha, † 1464; — tum medius quasi conciliator intervenit *Bessarion*, Trapezuntius, 1395—1472, Nicaenus archiepiscopus, postea Cardinalis, Pletonis discipulus sed multo moderatior.

3° *Marsilius Ficinus*, Florentinus, 1433—1499, princeps academiae Platonicae a Cosmo de Medicis institutae, verum et genuinum sensum philosophiae Platonicae haurire satagit, tum ex fontibus antiquioribus quibus ipse Plato usus fuerit, tum ex Neoplatonicis tanquam interpretibus. Horum operum versiones latinas bonas edidit, quibus suos commentarios addidit. Creationem admittit; sed in ideologia Ontologismum recentiorem praeformat.

III. Schola Cabbalistica.

1° *Joannes Picus de Mirandola*, 1463—1494, studuit Bononiae, Patavii, Parisiis, tandem Florentiae. Totum se Platonismo dedit. Quam doctrinam ex libris Veteris Testamenti fuisse haustam ratus, linguae hebraicae librisque Cabbalisticis incubuit, Platonismum Cabbalae mixtum protulit; idque in eum finem ut religionem christianam contra Judaeos et Infideles defenderet. — Anno aetatis 24, Romae theses proposuit 900, de omni re scibili, adversus omnes universi doctos defendendas; at damnatis aliquibus earum, disputatio praepedita fuit. — Astrologiam contemnit ac refutat, sed magiam naturalem approbat. — Fere in omnibus sequitur avunculum nepos *Joannes Franciscus Picus de Mirandola*, † 1533.

2° *Joannes Reuchlin*, Pforzheimiensis, 1455—1522, primus ex Italia Platonismum Pythagorismo et Cabbalisticis placitis permixtum in Germaniam retulit. Cabbalam scripto et verbo docuit Ingolstadii et Tubingae.

3° *Henricus Cornelius Agrippa de Nettesheim*, Coloniensis, 1487—1535, Juris et Medicinae peritus, humanioribus litteris deditus, in philosophia Lullio et Joanni Reuchlin adhaeret, Cabbalam practicam, scilicet mysticismum et artem magicam colit et evolvit, non sine scepticismo aliquo.

4° *Philippus Bombastus de Hohenheim* (quod ipse fecit interpretatum: *Philippus Aureolus Theophrastus Paracelsus*), Einsiedlensis, 1493—1541, suam scientiam et artem medicam fundare in philosophia, theologia, chemia et theosophia intendit; unde scientias naturales cum scientia cabbalistica conjungit.

IV. Schola Neo-Aristotelica.

1° Praeter Aristotelicos scholasticos, qui, apud septemtrionales praesertim, in realistas et nominalistas dividebantur, de quibus cfr. supra; — et Aris-

totelicos Orientales, qui contra Plethonem et neoplatonicos decertabant, cfr. sup.; — alia fuit hoc tempore Aristotelicorum, in Italia praesertim divisio et ardens disputatio, inter *Averrhoistas* et *Alexandristas*.

2° Averrhoisticam scholam Patavii incepit *Petrus de Abano*, † 1315, medicus, — post quem *Urbanus de Bononia*, † 1403, — et alii, usque ad *Franciscum Piccolomini*, † 1604. — Horum antiquiores praecipue unitatem intellectus in omnibus hominibus defendebant, recentiores tamen tum illam tum alias cum fide pugnantem sententias mitigaverunt, et paulatim orthodoxiae conformaverunt.

3° Alexandristicam Scholam Patavii incepit *Petrus Pomponatius*, Mantuanus, 1462—1524, — *Andreas Caesalpinus*, 1519—1603, — et plures alii, usque ad *Lucilium Vanini*, † 1619. — Hi Aristotelem interpretari quaerebant ex ipsius, et commentariis Graecorum, praesertim Alexandri Aphrodisiaci (unde eorum nomen); ac praesertim contra immortalitatem animae disputabant, quae esset philosophice neganda, theologice affirmanda. — Novissimi aliqua sua ab Aristotele aliena admiscebant.

V. Stoicismus, Epicureismus, Jonismus.

1° Stoicismum antiquorum resuscitavit et cum Catholicismo conciliare conatus est *Justus Lipsius*, 1547—1606, Ysschiensis; studuit Bruxellis, Lovanii, Coloniae. Fatum interpretatur actionem divinae providentiae, rerum naturis conformem, ac proinde fixam et immutabilem. — Eum pauci sequuntur.

2° Epicureismum resuscitavit *Petrus Gassendi*, 1592—1655, sed illum corrigens et fidei dogmatibus adaptans: a) quoad cognitionis originem et processum sequitur magistrum suum; — b) animam rationalem esse spirituales admittit; — c) explicat corpora per vacuum et atomos, sed rejicit infinitudinem tum pro vacuo tum pro atomorum numero; mundi originem et ordinem non casui sed creationi divinae tribuit; — d) distinguit inter felicitatem aeternam, quae ad philosophicas quaestiones non pertineat, et temporalem, quae sit in privatione mali et possessione omnium, quantum fieri possit, bonorum.

3° Jonismum Aristotelismo praefert *Claudius Berigard*, 1592—1663, docens Pisae et Pataviae; quia errores v. c. circa ortum rerum, elementorum aeternitatem, etc. facilius corrigantur apud Jones.

CAPUT III.

A LUTHERO USQUE AD LEONEM XIII.

Ex tanta periodi praecedentis reactione contra Scholasticam veritatem, tantaque systematum atque errorum diversitate et confusione, factum est